Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

nomine hierax. unde et hieracite sunt nomi-
nati. Hic vero per multos annos inclusus
asperam duxit vitam. Qui seductus atque
hereticus factus. docebat advenientes non
resurgere perfectos. sed quales ex hoc mundo
exierint. Audierat enim ex multo iam tem-
pore beatus epiphanius errorem eius. invenit
ibi multitudinem populi audientes eius fallacem
doctrinam. Quod ut audivit ex ore eius. in-
crepavit eum dicens. Tace o miser et obmu-
tesce. et noli blasphemare in spem resurrectionis
nostre. Hoc cum audisset hierax statim obmutu-
it. et iam non potuit loqui. Beatus autem epi-
phanius assumpto sermone docuit populum illum
fidem orthodoxam. et destruxit heresim illam.
quam miser ille docebat. Populi vero videntes
virtutem sermonis et quod ille obmutuerat.
statim confusi deseruerunt illam pessimam
fidem. et adheserunt sane doctrine quam beatus epipha-
nius predicabat.
Cum autem venisset in bucolia beatus epiphanius adhesit
quidam philosopho nomine ebde-
mon. Qui cum multa contulisset cum eo
de divinis scripturis. nolebat acquiescere. Hic
vero habebat filium unicum. unum habens ex-
tinctum oculum. Cui dixit quadam die beatus epi-
phanius. Optime ebdemon. cum tantas possi-
deas sapientias nec non et divitias. quare tibi
non cura est de filio tuo qui unum habet ocu-
lum. Subridens autem ebdemon. ait epi-
phanio. Cum tanti sint in seculo qui unum
habent oculum. que mihi cura ex hoc. Cui re-
spondit epiphanius. Et si ipse solus esset. quid
habueras facere. Qui ait. Nichil aliud nisi
mirarer ac dicerem. quia habeo filium cui non
est similis in hoc seculo. Iterum sanctus epiphanius
ait. Multos deos deasque colis. invoca eos
ut illum illuminent. Si autem hoc non possunt
facere. invoco ego christum meum crucifixum. et
illuminabit puerum. Tunc vocavit puerum
ante se. et tertio signum crucis faciens super
extinctum oculum invocato nomine christi. statim illumi-
natus est. Hoc videns ebdemon philosophus
continuo cecidit ad pedes eius et baptizatus est
ipse cum filio. et tota domo sua. Quadam
die cum sederet beatus epiphanius. venit ad
eum multitudo virorum ac mulierum cum fletu
et lacrimis deprecando ut eis misereretur. quia
pro eo quod multo tempore non pluerat arue-
runt omnia. et periclitabantur homines simul
cum animalibus. Quibus misertus iussit appo-
nere mensam. ipse autem intrans ecclesiam suam
et elevans manus ad celum dixit. Creator om-
nium deus da aquam populo tuo. ut benedicant
nomen tuum in secula. Et descendit statim pluvia
adhuc illis edentibus. et per continuos tres dies
et noctes pluit. ita ut inundaret terram. Iterum
rogatus a populo oravit et stetit pluvia. et re-
versi sunt cum gaudio ad domos suas.
Polivius quidam diaconus missus est
ab episcopis cum asello ut exploraret ubi
esset epiphanius. volentes eum capere et or-
dinare episcopum. Videns vero epiphanius eum
ait ei. Remitte fili asellum ad episcopos. tu autem
mane hic mecum. et dimitte eos querere qui
sunt digni deo. ego vero peccator sum homo. Quod
audiens polivius expavit. quia sic aperte cog-
nosceret pro quo venisset. Fecit vero sic pre-
ceperat. et mansit cum eo omni tempore vite sue.
Cum autem venisset beatus epiphanius per reve-
lationem in papho cipri. invenit ibi mag-
num hylarionem. Cui precepit dicens. Vade fili
epiphani in salamina. quia ibi oportet te
manere. Cum vero abisset. mortuo episcopo que-
rebant omnes quem ordinare deberent archi-
episcopum in salamina metropoli. Orationem autem
faciebant quotidie episcopi. ut revelaret illis
deus quem deberent ordinare. Qui etiam sancto
papho episcopo preceperant. ut et ipse orationem faceret.
Erat enim iste episcopus cithrie magne virtutis